



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Tiniensi Et Scardonensi Episcopis, & Abbati Trag.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

quòd domus vestra propriè ad jus beati Petri pertineat, nobis nostrisque successoribus tres libras ceræ annis singulis persolveretis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c.

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Octavianus Veletrensis & Hostiensis subscripsi.

Ego Petrus Portuensis Episcopus.

Ego Iohannes Albanus Episcopus.

Ego Pandolphus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.

Ego Petrus S. Cæcilie Presb. Cardinalis.

Ego Guido tit. S. Mariæ Presb. Cardinalis.

Ego Hugo Presb. Card. S. Martini.

Ego Iohannes S. Stephani in Cœlio monte Presb. Cardinalis.

Ego Soffredus S. Prædix Presb. Cardinalis.

Ego Bernardus S. Petri ad vincula Presbyter Cardinalis.

Ego Iohannes Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis.

Ego Bernardus Tit. S. Marcelli Presb. Cardinalis.

Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Gregorius S. Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis.

Ego Gregorius sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis.

Ego Gregorius S. Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Cardinalis.

Ego Cencius S. Lucie in Orthea Diaconus Cardinalis.

Ego Hugo S. Eustachij Diac. Cardinalis.

Datum Laterani per manum Raynaldi Archiepiscopi Acheruntini, Cancellarij vicem agentis, IV. Nonas Iulij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

GVILLELMO DOMINO
de Montepessulano.

Epist. 297.
Recipitur sub
protectione sedis
apostolicæ.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei nobili viro Guillelmo Domino de Montepessulano salutem & apostolicam benedictionem. Sancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetâ pietatis officio propensius diligere consuevit. Eapropter, dilecte in Domino filii, devotionem quam erga beatum Petrum

& nos ipsos habere dinosceris attendentes, personam tuam, cum omnibus bonis quæ nunc rationaliter possides, aut in futurum iustis modis poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani VI. Idus Iulij, pontificatus nostri anno secundo.

E I D E M.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Guillelmo Domino Montepessulani salutem & apostolicam benedictionem Litteras nobilitatis tuæ per dilectum filium R. Subdiaconum nostrum, Massiliensium Præpositum, de illis partibus redeuntem, nobis directas, debita benignitate recepimus, gaudentes in Domino quòd præclaræ mentis progenitores tuos, quos in devotione apostolicæ sedis jugiter permanisse opera quæ fecerunt certis iudiciis protestantur, in hac parte non solum imitari niteris, sed præire. Vnde propositum tuum dignis laudibus commendamus. Nos igitur te, sicut carissimum filium, volentes indefinenter de virtute ascendere in virtutem, devotionem tuam, pro his quæ hætenus ad honorem apostolicæ sedis & nostrum bene gessisti, copiosa gratiarum actione sequimur. Et quoniam postulasti à nobis ut ad destruendam hæreticam pravitatem illuc legatum à nostro latere mitteremus, & te redderemus protectione apostolica præmunitum, fecimus quod petiisti, & virum quem invenimus secundum cor nostrum, fratrem Rainerium, hominem religiosum, timentem Deum, illuc duximus destinandum. Datum Laterani VI. Idus Iulij, pontificatus nostri anno secundo.

TINIENSI ET SCARDONENSE
Episcopis, & Abbati Trag.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Tiniensi & Scardonensi Episcopis & dilecto filio Abbati Traguriensi salutem & apostolicam benedictionem. Constitutus in præsentia nostra venerabilis frater noster M. dictus Farenis Episcopus sua nobis assertionem monstravit quòd cum venerabilis frater noster N. Farenis Episcopus electus fuisset in Archiepiscopum Iaderinum, asserens electionem suam fuisse per sedem apostolicam confirmatam, ad Ja-

298.
Significat se
mittere Legatum
adversus
hæreticos.

299.
De electione
Episcopi Fa-
rensis.

dertinam transiit Ecclesiam, & in ea tanquam Archiepiscopus ministravit. Postmodum autem ad Farensem accedens Ecclesiam, cepit de substituendo sibi in eandem Ecclesiam pastore tractare, volens in eam intrudere M. Diaconum Ecclesiae Iadertinae, Principem terrae alium ibidem intrudere moliente. Propter quod Clerus & populus Farenfis convenientes in unum, credentes dictum Episcopum ad Iadertinam Ecclesiam auctoritate sedis apostolicae transivisse, dictum M. in pastorem concorditer elegerunt, & electionem factam dilectis filiis Spalat. Capitulo praesentantes, eam confirmari obtinuerunt, & electum suum per * Suffraganeum Spalat. Ecclesiae consecrari. Postmodum autem praefatus N. Farenfis Episcopus a nobis ad venerabiles fratres nostros Polensem, Absalensem, & Arbensem Episcopos literas impetravit, a quibus licet propter causam suspicionis idem Episcopus appellasset, ipsi nihilominus, sicut * & fuit in via suggestum, excommunicationis sententiam protulerunt. propter quod ipsum ad sedem apostolicam venientem fecimus ad majorem cautelam absolvi. Constitit autem nobis quod licet dictus N. postulatus fuerit in Ecclesiam Iadertinam, postulatio tamen ejus nondum fuit per sedem apostolicam approbata. Suggestum etiam nobis fuit per literas & nuntios ejus quod cum Iadertum, unde oriundus fuerat, ad domum propriam accessisset, & in Iadertina Ecclesia non tanquam Archiepiscopus sed tanquam Archidiaconus ministraret, dictus M. in locum viventis irrepit, & in Farensem Ecclesiam temere se permisit intrudi. Propter quod de mandato nostro per memoratos Episcopos excommunicationis fuit vinculo innodatus. Quia vero, si ve memoratus Episcopus temere transiverit ad Ecclesiam Iadertinam, si ve ipsam tanquam ipsius Archidiaconus visitavit ante quam Farenfis Ecclesia fuisset ab eo auctoritate sedis apostolicae absoluta, per electionem canonicam alium sibi Episcopum non poterat copulare; eadem Episcopo dedimus in mandatis ut a Farenfi Ecclesia omnino recedat, nec se nominet Farensem Episcopum, sed ad Spalat. Canonicam, unde assumptus fuerat, si voluerit, revertatur. Quia vero Farenfis Ecclesia, justo forsitan errore decepta, credens videlicet Episcopum ad Iadertinam Ecclesiam de mandato Ec-

clesiae Rom. transisse, in hunc contulic sua vota, & ipse occasione simili circumventus consensit in eam; discret. vestrae per ap. scripta mandamus quatenus subl. app. obst. inquiratis diligentius veritatem, si praefatus N. Farenfis Episcopus postulationem suam asseruit per sedem apostolicam approbatam, si ad Iadertinam Ecclesiam omnino transiit, si in ea se habuerit ut electus, si de substituendo sibi pastore in Ecclesia Farenfi tractavit, ut de his & aliis per literas vestras certiores effecti, melius in ipso negotio procedamus. Quod si omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani IV. Idus Iulij, pontificatus nostri anno secundo.

CAPITULO SPALATENSIS.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Capitulo Spalatensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum venerabilis frater noster M. dictus Farenfis Episcopus venerabilem fratrem nostrum N. Farensem Episcopum asserentem postulationem suam esse per sedem apostolicam approbatam transisse proponat ad Ecclesiam Iadertinam, & in ea ut Archiepiscopum ministrasse, & in Farenfi Ecclesia alium sibi substituere voluisse, se vero ad Farenfis Ecclesiae regimen fuisse illo transeunte vocatum, praefatus vero N. Episcopus ad civitatem Iadertinam, unde fuerat oriundus, non transivisse sed accessisse proponat, & in ea se non ut Archiepiscopum sed Archidiaconum ministrasse, ac dictum M. Farensem se in Ecclesia Farenfi fecisse intrudi, & nos inquisitionem horum duxerimus committendam, sollicitè volumus praecavere ne interim in eadem Farenfi Ecclesia aliquid in spiritualibus vel temporalibus detrimentum incurrat. Ipsam ergo vestrae sollicitudini committentes donec aliud statuamus, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus taliter ipsi providere curetis quod occasione controversiae hujus aliquod dispendium non incurrat. Datum Laterani II. Idus Iulij, pontificatus nostri anno secundo.

EPISCOPO, DECANO,
& Capitulo Parisiensi.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo & Yyy ij

Epist. 300.
De eodem articulo.
gumento.

Epist. 301.
Confirmatur
compositio iure